

Alte Drucke

**HIER. ZANCHII || MISCELLA-||NEORVM || Libri Tres.|| AD ||
AMPLISSIMVM SE-||NATVM ANTVERP. ET AD ECCLE-||SIAS,
QVÆ PVRIOREM ANTVERPIÆ || profitentur ...**

Zanchi, Girolamo

Neustadt/Haardt, 1593

VD16 ZV 27950

AMPLISSIMO SENATVI ANTVERP. ET ECCLESIIIS, QVAE ANTVERPIAE PVRIOREM
PROFITENTVR RELIGIONEM, BELGICAE, GALLICANAE, ANGELICAnae, & Fratribus
Italis: HIERONYMVS ZANCHIVS Gratiam & pacem à Deo Patre, & à ...

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149561



AMPLISSIMO SENATUI ANTVERP. ET ECCLESIIS, QUAE
ANTVERPIÆ PVRIOREM PROFITENTVR
RELIGIONEM, BELGICÆ, GALLICANÆ, ANGLICANÆ, & Fratribus Italis:

HIERONYMVS ZANCHIVS

*Gratiam & pacem à Deo Patre, & à Domino nostro
Jesu Christo P.*



ON SVM immemor, amplissimi viri, & Fratres obseruandi, benevolentiae erga me vestrae, & honoris quo me affecistis: Cum post conditionem à magnificis Dominis Leiden-
sibus in sua celeberrima Academia mihi oblatam, quibus
iridem hoc nomine non parum debeo, vos quoque non semel & iterum, & per literas, & per nuntios ut ad vos venirem, & istuc ad propagandam veram Christi doctrinam
meam quoque opellam in commune conferrem, mecum egistis. Vobis persuasissimum esse velim, Domini & fratres
colendis, cur aut ad Academiam Leidensem, aut ad vos non venerim, multis cetero-
qui rationibus me ad oblatam istam à vobis conditionem suscipiendam excitatibus,
nihil aliud fuisse in causa, quam quod talem Principem, & talis tantique honorificae
M. Principis Friderici Tertij, olim Electoris Palatini Filium Iohannem Casimirum
D. M. C. L. negligere, aut honestam stationem, in qua me benigne collocauerat, sine
bona illius gratia, neque per conscientiam, neque per existimationem meam vllomodo
deferere potui: idque eò minus tum potui, quod & Schola, quanquam recens instituta,
pro qualitate tamen loci erat frequentissima: Et, si discessissem, vnum tantum
in ea reliquissem Theologiae Doctorem, eumque haud firma valetudine praeditum.
Iustissimam hanc fuisse excusationem meam, inter viros bonos & prudentes, qui non
dicturus sit, credo fore neminem. Neque dubium est, quin tam quod factum non est,
quam quod factum est, totum hoc diuina prouidentia ita temperatum fuerit, ut secus
fieri non potuerit: quemadmodum & Scripturae docent, & euentus comprobant, &
nonnulla, quae consecuta sunt, pia opera manifestè confirmant. Suo quaque tempore,
& loco, & modo, quibus ut fiant definitum est; tandem ut confiant, inuitis etiam
inferorum portis, necesse est: idque propter salutem Electorum & propter gloriam
regni Dei. Quid autem Christiano homini suauius, iucundius, vtilius: quam bona
conscientia ita tuam traducere vitam, & ita constanter tuam sequi conditionem, ut
interim rerum omnium euentum, Deo nostro committas: & in aeterna, sapientissima,
& immutabili eius prouidentia, toto corde conuiuiscere? Quod itaque praesens corpore
(semper enim apud vos sum animo) & coram praestare non potui: illud absens
hac epistola, & hisce Miscellaneis meis ad vos missis, aliqua ex parte compensare volui:
quae idcirco etiam recusa, & non parum, atque adeò vno etiam libro aucta, vobis

E P I S T O L A

consecrare constitui; vt perpetuum apud omnes, eoq̃ue & apud totam posteritatem monumentum relinquerem, obseruantia erga vos mea. Quos & vicissim, vt me meosq̃ue liberos in vestris precibus commendatos habere: & verò etiam meum nomen, in bona causa, aduersus calumniatores, si quando opus fuerit, pro sua quisque virili & conditione tueri velitis; rogo atq; obsecro. Causam igitur quandam, quanquam non magni momenti, neque etiam ad iudicandum difficilem, talem tamen, quæ vt ab omnibus bonis cognoscatur, haud est indigna: vobis, pijsq̃ue omnibus iudicandam propono. nouisse enim varia hominum ingenia, & à quo quisque Spiritu ducatur, inutile non est: præsertim in hoc tempore, quo multi Antichristi in mundum venerunt: qui prætextu & simulatione piæ concordia, vniuersam turbant Ecclesiam. Causa autem est huiusmodi.

Annus iam agitur vigesimus secundus, ex quo tempore Argentina quidam iniqua aduersus me, ibi sacras literas profitentem, instituta de variis hæresibus accusatione, admirabile excitarunt in Schola, & in tota vrbe incendium. Quod idcirco etiam biennium ferè durauit: quia legitima illius extinguendi ratio, publica nimirum, aut priuata disputatio, vel saltem amica collocutio, nunquam ab accusatoribus impetrari potuit. Cuius reicausa, & ego primùm ad Academias, Ecclesiasq̃ue confugere, virorum doctorum iudicia audire, testimonia colligere, eaq̃ue vnà cum meis thesibus, atque aliquot tractationibus, tandem in lucem dare coactus fui: Et deinde Senatus etiam, videns rem inter nos definiri non posse, quod nec aduersarij mei vellent colloquium, nec ego, nisi causa legitimè cognita, cedere vellem: ad extremum aliundè Theologos vnà cum quibusdam politicis, qui causa cognita, ac definita, omnem ex Schola & vrbe tollerent offensionem, accerere compulsi sunt.

Quomodo isti se gesserint, resq̃ue fuerit, vtcunque composita: suo in Miscellaneis narratur loco. huic enim libro, quem cur Miscellanea appellari satis constat, per Oporinum Basileæ affecto, per Crispinum autem Geneuæ perfectò, adieci postmodum, & quæ compositionem præcesserunt, & quæ illam consecuta sunt acta: idq̃ue illis necessarijs de causis, quæ suis locis in libro sunt explicata. Prodierrunt itaque in lucem perfectahæc Miscellanea, magno illi Principi Philippo Langrauiò dedicata, anno Domini 1566. A quo tempore in hanc vsque diem (effluerunt autem iam anni circiter septendecim) nihil aduersus me, meumve librum aduersarij, quod sciam, scriptum reliquerunt: id quod ab illis prudentissimè factum fuisse, nemo, qui aliquo valeat iudicio, non mecum fatebitur. Quid enim imprudentius simul & impudentius, quàm vel simplicem rerum gestarum, toti non vrbi Argentinensi, sed orbi Christiano notissimarum, quarumq̃ testes fide dignissimi plerique adhuc viuunt, narrationem negare: vel eius doctrinæ, quam nec accusatores hæreseos conuincere, nec arbitri ac compositores damnare potuerunt, veritatem denuò oppugnare?

Accedit, quod suo silentio effecerunt, vt ego quoque nihil ampliùs aduersus eos scribere in animo habuerim; sed quæ alioqui iam parata, & in promptu erant, ea omnia suppresserim: contentus patefacta iam satis aduersus calumniatores rerum gestarum veritate: Et verò etiam memor pietatis ac modestiæ Christianæ. Nam præterquam quod à rixis & pugnis natura abhorreo: quid etiam obsecro magis indignum est homine Christiano, quàm modò hunc, modò illum lacescendo, noua quotidie bella excitare, & quosuis ad certamen prouocare, atque etiam pertrahere? Tali ingenio video nunc non paucos esse: homines inquietos & veros incendiarios, qui suas accensas faces, in cuiusuis ædes iniicere, idq̃ue impunè, non desinunt. Tales fuerunt & inimici, non tam Dauidis, quàm Dei, de quibus in Psalmo 120. Ego (vir) pacis: & quum loquor, ipsi (commouentur) ad bellum.

Sed

INVOCATORIA.

Sed aliter certè nos docuit Christus sua doctrina, & suo exemplo: aliter & Apostolus, qui ait: Seruum autem Dei non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes. Vult quidem ut obistentes sanæ doctrinæ, refellamus, & doceamus: sed quomodo? cum lenitate, inquit, erudientem eos, qui contrà sunt affecti. 2.Tim. 2.

Quæ causa est, cur & olim in virulentis quorundam aduersus me scriptis refellendis, contentus fuerim modesta ac simplici calumniarum depulsione: Et nuper etiam, cum duo acerbi homines in libris aduersus optimum ac Reuerendum, etiam si rumpantur illa Codro, senem, puræ religionis amantem, & sanæ doctrinæ strenuum defensorem, deque Scholis & Ecclesiis optimè meritum hominem D. Iohannem Sturmium scriptis, me etiam sine causa grauitè perstrinxerint, ego contrà maluerim talium hominum vanos latratus silendo contemnere, quàm respondendo, eos magis ac magis rabiosos efficere: Precatus Deum, ut hos malè feriatis homines ad se conuertat, donatos Spiritu Christi, à quo in viam veritatis deducantur.

Hæc de tempore & necessitate datorum olim in lucem Miscellaneorum meorum: deque causis cur postmodum de illis præteritis actionibus neque sponte, neque ab aliis non semel & iterum prouocatus, aliquid planè in hanc usque diem scribere voluerim. Cur enim illud parum quod mihi restat vitæ, & quod totum in dulcissima planeque necessaria sacrarum literarum lectione ac meditatione insumendum est; in vanis ac perniciosis altercationibus, cum omnium bonorum offensione conteram? Odi ex animo tales conflictus & talium scripturæ genera. Cum enim hæc pugna dedecant omnes Christianos, tum verò maximè Christi ministros: Quos propriè alloquitur Apostolus, cum ait: *Τὰς δὲ μαχὰς καὶ ἀποκρίσεις ζητήσεις παροίτω: εἰδὼς ὅτι συνώσι μάχας.* 2.Tim. 2.

Pugnent ergo qui volent: ego certè, ut confido in Domino, præter ordinariam meam in Schola docendi functionem, & præter modestas scriptiones, quibus sanam pro mea virili parte tuear doctrinam: dabo operam, ut liberos meos in vera pietate instituam, & ad pugnam contra diabolum spiritualibus armis muniam: me verò ad mortem, hoc est, ad felicem beatamque ex hoc mundo ad Christum, & in illud cælum, ubi & ipse viuit, atque ad dexteram Patris residet, transitionem præparem: Calumnias omnes atque iniurias, si quæ factæ mihi sunt, aut porro fient, Domino Iesu Christo omnium iudici iustissimo, sicut ipse fieri iubet, vliscendas relinquens.

Nam quòd, qui præcipuus fuit inter compositores illius veteris dissidij Argentinensis, quique toti illi actioni præfuit: qui in meis exhibitis lectionibus, scriptis, confessionibus, atque à se perlectis, nullam contineri hæresin palàm professus est: qui me nouit formulæ doctrinæ à se conceptæ, nisi iuxta explicationem à me Dominis compositoribus exhibitam, subscribere noluisse: qui illas meas in articulos concordie conceptas & traditas notulas, quæ postea impressæ sunt, non reprehendit: qui & mihi & Sturmio dixit, nobis antequam subscribamus licere protestari, & se ac suos collegas, cum opus fuerit, nostræ protestationis testimonium duros pollicitus est: qui meas præterea protestationes coram toto illo celebri conuentu factas audiuit, ac ne vllò quidem verbo vel reiecit, vel improbavit: qui meam in illam formulam doctrinæ consensionem, & subscriptionem iuxta prædictas meas explicationes factam, sine vlla contradictione admisit: qui de hac mea subscriptione nihil porro vnquam aut coràm, aut per literas conquestus est: qui denique totam illius actionis historiam, meæque subscriptionis declarationem, à me annis abhinc plus minùs octodecim typis expressam & euulgatam legit, certè potuit, neque tamen per totum illud tempus quidpiam aduersus illam scripsit: Quòd inquam talis vir bonus, qui per quadriennium, quo pastorem egi Clauennæ: qui per

EPISTOLA

decennium, quodocui Heidelbergæ; qui denique per triennium, & ampliùs, ex eo tempore (agitur autem iam annus quintus) quo doceo Neustadij sub Illustrissimo Principe Iohanne Casimiro, semper tacuit, nuper contra Iohannem Sturmium calamum stringens, meam etiam illam tot annorum subscriptionem, (vt amici retulerunt; Germanica enim non intelligo) perstrinxerit: ego quidem facilè condono, & æquo animo fero; sed viderit ipse, quo Spiritu ad hæc scribenda adductus fuerit. Nemo est vel mediocri iudicio præditus, qui illo etiam tacente, non intelligat. O Egregios concordiaæ autores, & charitatis Christianæ prædicatores! qui noua semper excitant incendia, & nouas fidas in viros non se peiores exacuunt: qui dicunt; esto ἀμνησία omnium iniuriarum: & tamen ipsi, quæ nullæ sunt, eas tanquam summas, quàm possunt crudelissimè vlciscuntur. Quid ego vnquam vel egi vel scripsi aduersus hosce homines: qui me de re tot annis sine dolo, & sincerè gesta, per se bona atque honesta, nunc primùm, tanquam de summo scelere, coram toto mundo, libris editis, accusant? Quando vnquam à me fuerunt vel verbulo vno laceßiti? Scripsi aliquid, bonam defendens pro mea virili parte causam, sicut omnibus licet: Sed semper, vt mei libri testificantur, modestè: res, omisissis personis, simpliciter tractans. Quæ igitur est illa barbara rabies, quis furor, quæ furia: vt qui sua sorte ac conditione contenti, in ea sine vllius iniuria, quietè ac modestè se gerunt: & qui, quoad eius per conscientiam fieri potest, amicitiam ac pacem cum omnibus colunt: & qui denique de vita potius Christianè defungenda, quàm protrahenda cogitant; hos etiam semimortuos laceßere, calumnijs irritare, & ad pugnam prouocare non vereantur?

At Zvinglianuses & Calvinianus. hoc sanè totum est. Vt Lutherianus non sum, nec esse volo: quanquam Lutheri scripta, & libenter, & non sine fructu iam inde à mea iuuentute legi, & modò etiam, cum vacat, lego: sic etiam aut Zvinglianum aut Calvinianum, aut quouis alio sectario nomine me quis appellet, me esse pernego: licet horum quoque, ac aliorum Doctorum virorum scripta magni semper fecerim, & faciam: idque non alia de causâ, quàm quia doctrinam, quam à Christo acceperunt, sincerè & perspicuè explicarunt. Christianus igitur sum, non sectarius.

At amicus etiam es Sturmij, qui nobis est inimicus. Ego verò persuasum habeo, optimum virum D. Iohannem Sturmium, nemini hominum esse inimicum, sed diabolo duntaxat & angelis eius, hostibus Ecclesiæ, hæresibus, vitiis. Magnæ autem laudi & honori mihi duco, quòd amicitiam triginta circiter annorum constanter inter nos semper in Domino coluerimus: & nunc magis quam vnquam illum venerandum senem colo, quòd eum videam in hac sua decrepita ætate nihil non, propter Christum, proque veritatis defensione, forti animo sustinere: mortemque ipsam, nedum exilia, & omnium bonorum amissionem, contemnere. De talis igitur ac tanti viri amicitia non glorièr? quam nemo bonus non expetit: qua optimi & verè Christiani Principes delectantur? Sed facessant tales ineptiæ: socius es Sturmij: non igitur aduersus illum scribemus, quin te etiam perstringamus. Et quam obsecro in re? in illa tua ambigua subscriptione, quæ non fuit boni & candidi viri: Hanc Doctrinæ formulam vt piam agnosco, ita etiam recipio. Sed si in ea re peccaui: cur non tum, aut saltem paulò post me monuerunt isti boni & candidi viri? Si me tum de sensu interrogassent: in ipsomet tor celeberrimorum virorum confessu, eodem modo liberè explicassem, quo postea in supplicatione ad Senatam, quæ in primo Miscellaneorum libro extat, explicavi: Et causas, cur non simpliciter, vt alij subscripserim, omnes intellexissent. Ago tam eni gratias, quòd æquius mecum in hac parte egerunt isti boni viri, quàm cum beatæ memoriæ Philippo Melanchthone actum fuit. Olim Philippus in collo-

quo

N V N C V P A T O R I A.

quo Vvormatiensi cum esset, non obscure Brentio dixit, se cum Luthero in eo, quod de Sessione ad dexteram quodam in loco ille scripserat, non sentire

De hoc responso nunquam, dum vixit, à quopiam fuit, vt audio, reprehensus aut monitus: nunc demum mortuus, à nescio quo, contra Sturmium scribente damnatur; quemadmodum & in multis aliis rebus, ille sanctus vir, tantum non vt blasphemus in Deum, cruci affigitur. Atque hic ego, dum factum hoc perpendo, video aut me esse valde imperitum rerum aestimatorem: aut istos Melanchthoni mastigas nullam vel valde fauciatam habere conscientiam; & à meris carnis affectibus, ad suos abripi anathematismos. Si non sentire cum Luthero in doctrina, præsertim de carnali præsentia, & de Vbiquitate, esse omnibus Turcis & Mahometanis peiorem, qui nullo modo in Ecclesia ferendus sit: Cur Melanchthonem illud ingenuè profitentem, & Brentio in faciem sine dissimulatione aientem, tot annos in Ecclesia tulerunt, summo honore affecerunt, pro optimo viro ac præceptore habuerunt?

Ego non intelligo istam reformatorem mundi Theologiam. Redeo igitur ad mea. Gratiam, vt dixi, habeo, quod mecum æquiùs, quàm cum Philippo, ab istis hominibus actum sit. Nam me saltem, antequam moriar, post annos à subscriptione circiter decem & octo, ex Christiana scilicet caritate monuerunt. nempe, vt Deo sic omnia sapientissimè disponente, meliùs & clariùs, quàm hætenus à me factum sit, totum illud negotium Argentinense toti posteritati explicarem. Neque enim dubito quin hæc omnia Dei prouidentia facta sint: Vt plura nimirum & maiora inde bona Ecclesiæ obuenirent, quàm mala nobis creare per suos molitus sit ac moliatur Sathan. Quorsum Semei ad conuicia in Dauidem coniicienda excitauit? Vt Dauid in patientia, veraque pietate, quæ nobis omnibus in omnem æternitatem esset exemplo, exerceretur. Quorsum Arium ad blasphemandum Dei Filium? vt inde per Athanasium vera & æterna illius Deitas clarius explicaretur, & firmioribus rationibus assereretur. In quem verò etiam finem excitauit Nestorium aduersus doctrinam Nicæni Concilij, de vna Christi persona ex diuina & humana naturis constante? Vt ea per Cyrillum accuratiùs explicaretur; pluribus S. literarum testimoniis confirmaretur; & longiùs latiusque propagaretur. In eundem finem alios quoque nunc excitat Nestorios; quibus alios contra opponit Cyrillos, vel saltè fideles Cyrilli discipulos. Fuit Nestorius homo indoctus, superbus, cõtemtor Patrũ, sed audax & magnæ loquentiæ: quæ vnica fretus, nihil non audebat: & quidẽ sæpenumerò feliciter, quod volebat, obtinebat; ita vt ipsum quoque Theodos. Imp. seduxerit, effeceritque vt optimum Cyrillũ Episcopatu abdicaret. Quanquã re postea meliùs cognita, illũ maiori cũ honore, suo restituit loco, damnato hypocrita Nestorio. Perit igitur ille quidem: sed Spiritus eius nunc etiam in nonnullis viuit. Age ergo, quãdo hæc voluntas Domini est, causam eius & nostram tueamur; & eam æquis iudicibus iudicandam relinquamus.

Duo hominum genera meam illam subscriptionem Argentinensem improbarunt; fratres & hostes; illi primũ, deinde isti. Fratribus ideo illa displicuit, quod me simpliciter subscripsisse putarint; Cum tamen rem longè aliter se habere, ipsa meæ subscriptionis verba non obscure doceant. Quorsum enim tot verba, cum nuda nominis mei subscriptio, vt petebatur, satis superque fuisset? Ex horum igitur animis vt omnem eximerem scrupulum: simul ac factus fui de nonnullorum offensione certior, subscriptionem statim explicavi, eam paulò post in lucem dedi: quæ in primo horum Miscellaneorum habetur libro, in Supplicatione ad Senatum Argentinensem: de qua non est cur plura dicam, cum eam quisque legere possit; atque vt legat rogo. Credideram omnibus ita fuisse satisfactum, vt ampliori explicatione nunquam opus foret. Si qui tamen sint, qui vel de pietate, vel de candore animi mei, cum ea verba subscriberem, non nihil dubitent: hi, si quæ modò aduersus meos calumniatores subiiciam, legerint, nihil in me ampliùs credo

credo desiderabunt. Illi profecto falluntur: qui me à carnis affectu ad concipiendam illam subscriptionis formam, adductum fuisse existimant: quasi ideò illa subscribendi ratione usus fuero, quòd cupiuerim ita Argentinensem meam stationem retinere, ut tamen à veritate doctrinæ nihil me mea subscriptione recessisse, ambigua illa dicendi forma, ut ipsi vocant, quoties vellem, tueri possem. Caro certe me non detinuit Argentinæ, neque ad illam subscriptionem impulit, sed Spiritus: quemadmodum in historia suo narratur & demonstratur loco. Memor enim eram literarum Caluini, beatæ memoriæ, qui non semel & iterum me monuerat, nihil non esse agendum, salua tamen conscientia, & veritate, quòd meam retinerem stationem: Cum nihil aliud molirentur Aduersarij, quàm ut cederem loco: ne porro quempiam amplius, qui se sibi opponeret, haberent. Hoc igitur, ipsum vnum me ad illam permouit actionem: ut ne scilicet temerè & contra voluntatem Dei, Argentinam discederem. Quid enim mihi alioqui gratius fuisset, & optatius, quàm ut relictis tot tamque acerbis hostibus, à quibus nihil vnquam sinceræ amicitiae, Christiani solatij, & veræ consolationis sperare poteram; me Tigurum, quò in locum Martyris, beatæ memoriæ, vocabar, ad illos optimos, vereque pios, doctos, & humanos fratres, apud quos & minus laboris, & plus etiam stipendij (si hæc quoque alicuius æstimanda sunt) habiturus eram, quàm Argentinæ, vicinior patriæ & amicis, me conferrem? Scio autem me & bona conscientia illi formulæ subscripsisse: & ea subscriptione, nihil veritati doctrinæ derogasse: cum neque articulis per se impijs subscripserim: neque simpliciter illam docendi formam, sed conditionaliter, nimirum, ut ego illam piam esse iudicabam, probarim, atque admiserim. Quotus enim quisque est in latina lingua vel mediocriter versatus, qui illud, ut, in mea subscriptione non videat idem valere, quod Prout?

Ut me voles, dicebat, ille apud Plautum, ita habebis: hoc est, Prout & qualem me esse volueris, talem habebis. Et alius; ut me tractaueris, ita tibi operam ego præstabo meam. Hæc meo iudicio satisfacere debebant fratribus; ut ne quidpiam finistre de me conciperent opinionis. Animi est non prorsus amici; quod in bonam partem accipere possis, illud in peiorem interpretari.

Venio iam ad aduersarios, qui me nunc tandem, idque editis libris carpunt: improbè calumniantes, quòd ambigüe subscripserim, eoque fecerim, quod neque boni, neque candidi fuerit viri? Vnde verò hæc? & quorsum, & qualeuitate, post annos decem & octo aduersus socium Sturmij, hoc est, aduersus me scribuntur? Duo satis confidenter pronuntiant, sed neutrum probant. De primo ut dicam, constat, ut modò ostendi, locutionem illam meam, non esse inusitatam: Proinde si obscura visa est, imperitis est visa.

Nulla verò ratio est, quamobrem illis, qui non solùm totam illam actionem Argentinensem apprimè norunt, sed etiam ei præfuerunt, obscura aut ambigua videri debuerit subscriptio mea: sed quæ inter nos acta fuerant, ea omnia concludere istis hominibus debuerunt, me non alio sensu, quàm quem illis non semel, & coràm, & scriptis, exhibitisque notulis apertè candideque explicaram, & explicatum porro in lucem dedi, subscripsisse. Si quis ea diligenter legat, quæ ab exhibita Sturmio & mihi formula doctrinæ, vsque ad subscriptionem acta inter nos & compositores fuerunt, (continentur autem in Epistola ad Lantgrauium pag. 30. & deinceps vsque ad 34.) Is perspicuè videbit rem ita se habere, ut modò de aperto sensu meæ subscriptionis à me dictum est. Nec verba mea aliter à compositoribus, quàm ego explicaui, intelligi potuisse aut debuisse. Primum enim cum legissem tum articulos ab ipsis conceptos, tum formulam de cæna propositam, quæ post verbum Dei constabat Augustana Confessione, Apologia, & articulis concordiae inter Lutherum & Bucerum: Annon semper & constanter, idque apertè & candidè dixi,

NVNCVPATORIA.

dixi, mihi illam doctrinæ formulam, ad doctrinam quod attinet, non improbari; propterea quod, si habeat æquum interpretem, nihil per se impium in ea contineatur? Quod igitur toties & constanter affirmavi: mene illud, & posse negare cum liberet, & posse affirmare cum expediret, ambigua subscriptione voluisse? Quisnam eorum, qui mecum versati sunt, & qui probè norunt mores meos, me talis esse ingenij affirmare poterit?

Deinde, cum quæ proponebantur, nostra subscriptione comprobanda, meis notulis declarassem, quatenus probare, & quatenus non probare possem: An non multis & grauib. rationibus demonstraui, me non posse simpliciter subscribere: eoque rogare, ut aut ne cogerer subscribere: aut si subscribendum omnino esset, id mihi cum exceptionibus facere liceret?

An non expressè petij, ut mihi liceret totam illam doctrinæ, tum de prædestinatione, tum de cœna formulam, iuxta explicationes Bucerij, & confessiones Argentinenſium interpretari: & ut harum exceptionum aliqua in subscriptione fieret mentio? An non ipsi præter alia responderunt, mihi licere voce protestari, & se mearum exceptionum, & constantiæ in recta sententia, cum opus fuerit, duros testimonium: modò ne harum rerum, ut petebam, fieret mentio in subscriptione? An non præterea Sturmij ipse, nomine consilij, ad compositores scripsit Epistolam, in qua præter alia hoc etiam inerat, consilium velle; ut antequam ad subscriptionem veniatur, sibi liceat articulos propositos, & formam de cœna interpretari iuxta declarationes, & libros Bucerij, aliorumque præceptorum nostrorum, qui scilicet antea docuerant Argentina? An non accepta hac epistola, venerunt duo præcipui compositores in aedes Sturmij, & suo ac reliquorum nomine responderunt, se quod petebamus, concedere: neque se velle illa sua formula quidquam derogatum esse confessioni fidei, & religioni nostri Magistratus, & maiorum nostrorum: seque permittere, ut hæc in acta referrentur? An non ex ijs liquidò potuit constare compositoribus, neque me, neque consilium, formulæ illi doctrinæ simpliciter, sed cum illis, quas explicavi, exceptionibus subscribere voluisse? An non verò, alijs petitioni arbitrorum acquiescentibus, idque propterea, quod de illorum fide & promissionibus non dubitabant: ego semper in ea perſtiti sententia, Dominis compositoribus non ignota, me nolle articulis subscribere, nisi aliqua illarum exceptionum, quas nobis sæpè concesserant, fieret mentio? An non hæc fuit etiam causâ totius altercationis nostræ de subscriptione, quod ego volebam, ut quas à me fieri voce permittebant exceptiones, earum etiam in subscriptione mentio fieret, propter causas tunc explicatas: ipsi verò recusabant, hac tantum allata ratione, quod non expediret? causas videlicet aduersariorum, & ipsorum consilij. An non in ipso publico omnium, Dominorum urbis, Legatorum, Compositorum, Ministrorum, Professorum consensu, prælectis articulis, quibus erat subscribendum, interrogatus, an ego quoque vellem subscribere, necne; respondi, quia nihil illos per se impium continere agnosco, idcirco pacis & concordie gratia me subscripturum esse: sed certis de causis me prius protestari? Illa nimirum tria capita, quæ in historia explicata sunt, & quarum protestationum seu exceptionum mihi postea dederunt testimonium, necessarijs de causis cum transirem Basilea, Clauennam proficiscens, duo ex compositoribus, Sulcerus nimirum & Coccius, quod testimonium idcirco non subijcio, quia illis promiseram, me illud non facile euulgaturum. In eum enim duntaxat finem dederunt, ut eo aduersus calumniatores, me meumque ministerium tueri possem: nempe mea subscriptione nihil derogatum fuisse doctrinæ cõtrouersæ; præsertim cum meas præmiserim exceptiones, quæ à Dominis compositoribus nequaquam reiectæ fuerunt. Quo modo verò ex ijs omnibus non euincitur, quisnam sensus fuerit subscri-

ptionis

EPISTOLA

Miscell.
lib. 1. pag.
33.
 ptionis meæ, ipsos compositores ignorare non potuisse? Repetam hinc confirmatio-
 nis causa nonnulla, quæ cum alijs collegæ, tum præsertim vir clariss. Dominus Io-
 hannes Sturmius, tunc temporis præpositus totius consilij, & Scholæ Rector, ut me
 ad simpliciter subscribendum, cum iam hora instaret subscriptionis, permoueret, ad
 me fecit verba; quæ ego postmodum retuli in historiam, & quæ etiam à nemine ad-
 huc alacrius falsitatis aut conuinci aut etiam accusari potuerunt. Præter alia hæc et-
 iam ibi habentur: Cum admissa sit (inquebat ad me Rector) nostra totius consilij
 protestatio, nobisque concedatur, ut & Augustanam Confessionem, & istos articu-
 los interpretemur iuxta explicationes & scripta Bucerii, aliorumque maiorum no-
 strorum, & iuxta Confessiones, Apologiamque ciuitatis: cum item ista nostra sub-
 scriptione nullum fiat præiudicium causæ nostræ, ut ipsi quoque fatentur arbitri:
 cum tibi etiam liceat publicè, antequam subscribas, excipere, & huius tuæ exceptio-
 nis, licet mentionem fieri nolint in subscriptione, testimonium tamen daturi nos si-
 mus, cum volueris: Quid tandem causæ est, quod tam diu detrectes, propositis ar-
 ticolis citra mentionem tuarum exceptionum subscribere? Hæc tum ad me Stur-
 mius, testibus aliquot collegis. Quæ cum ita se habeant, quis non videat, mihi per
 compositores licuisse voce protestari, eaque excipere, quæ excepi: Et controuer-
 siam tantum inter nos fuisse, an aliqua mearum exceptionum in subscriptione fieri
 deberet mentio, necne: me illam tanquam necessariam petente, & ad finem usque
 constanter urgente: illis autem tanquam non expedientem, ut dicebant, deneganti-
 bus? Inter illas autem exceptiones erat etiam hæc, quam ad consilij protestationem,
 nobis omnibus concesserunt arbitri: nempe ut illam doctrinæ formulam interpre-
 tari liceret iuxta regulam verbi Dei, doctrinam Augustini, Lutheri & Bucerii. Nam
 iuxta hanc interpretandi regulam facile agnoscebamus, illam doctrinæ formulam,
 quam nobis arbitri præscripserant, propria haberi, & ut piam à nobis admitti, ac de-
 fendi posse. Qui fieri igitur potuit, ut Domini compositores, cum viderent, me non
 simpliciter, quemadmodum semper petierant: sed in hæc verba, Hanc doctrinæ for-
 mulam, ut piam agnosco, ita etiam recipio, subscripsisse: non intellexerint, me eo
 sensu, quem explicavi, subscripsisse? nempe eatenus eam formulam à me recipi,
 quatenus eam iuxta regulam verbi Dei, & doctrinam Augustini, Lutheri, atque Bu-
 cerii, piam esse agnoscebam, atque etiam nunc agnosco. Quid hinc doli, quid versutiæ,
 quid tricarum, quid ambiguitatis? Ergo licet fortassis alicui alijs, & præsertim impe-
 rito, obscura atque ambigua videri potuerit subscriptio mea: ipsis certè arbitris, nec
 debuit, nec potuit videri.

2. Thess.
2.
 At clariùs scribere potuisses, sicut postea explicasti: quod cum non feceris,
 non fecisti tunc, quod viri erat boni atque candidi. Quasi verò ideò etiam Pro-
 phetæ, & Apostoli non fuerint viri boni atque candidi; quia multa clariùs, quàm
 fecerint, explicare potuerunt. Num ideò etiam Christus non fuit bonus & candi-
 dus vir, quia ad multa, tum interrogata, tum obiecta, clariùs respondere potuit
 Iudæis, quàm responderit? Cuius generis propè infinita ab Euangelistis recitan-
 tur: Et quidem ubi, veluti cum de ipsius Deitate agebatur, clarior responsio omni-
 nò necessaria esse videbatur. Num ideò & Paulus non fecit officium viri boni atque
 candidi: quia clarioribus verbis, quàm fecerit, ipsum Antichristum eiusque aduen-
 tum describere potuit?

Quid de Iohanne dicam in Apocalypsi, an non potuit apertiùs multa expli-
 care, quæ varijs tantum ænigmatibus indicauit? Num ideò eum accusabimus,
 quod non fecerit officium boni atque candidi scriptoris? Sed quid ego cum ine-
 ptis hominibus ineptio? Cur non etiam compositores de eodem crimine accu-
 santur; qui cum in Senatu ad Dominos, præter alia, se in scriptis & confessioni-
 bus Zanchij nullam reperisse hæresin, retulissent: non subiecerunt; in libris verò &
scriptis

scriptis aduersariorum multas à se repertas fuisse: sed hoc dissimulato dixerunt animorum potius fuisse offensiones, quàm in doctrina dissensiones? Verùm quis fuit in illo Senatu tam cæcus, qui non viderit, aut tam imperitus, qui non intellexerit, si Zanchij doctrina à suis accusatoribus damnata, non est hæretica, contrariam igitur, erroneam & hæreticam esse? Itaque cum res esset perspicua, nisi quis voluisset in media luce cæcutire, facile se hac ratione tuebuntur arbitri aduersus suos accusatores: quod per se necessario ex relatis consequbatur, illud sua relatione aut explicatione non eguisse. Si quis etiam eosdem velit neglecti officij, quod bonos ac candidos viros decebat, idè perstringere, quia in nonnullis articulis à se conceptis & nobis exhibitis ita locuti sunt, vt non nihil clarioris lucis in illis desideretur: respondebunt, imperitis duntaxat, & malignis illos esse obscuros atque ambiguos: bonis autem & sincerè omnia interpretantibus, omnia esse perspicua atque aperta.

Idem respondere poterunt defensores Augustanæ Confessionis: in qua nonnulli articuli, in quorum numero est etiam ille de Coena, ita concisis & ambiguis verbis conscripti sunt: vt de industria ita concepti fuisse videantur, quò & à Pontificiis pro sua, & vicissim à protestantibus pro sua sententia accipi, interpretari & intelligi possent.

Si hac ratione illi, & meritò quidem, sese tueri possunt: cur non & mihi, eadem defensione aduersus hosce meos suggillatores vt liceat? Cum mea præsertim verba clariora sint, & minus habeant ambiguitatis, quàm multi tum nostrorum compositorum, tum autorum Confessionis Augustanæ habeant? Nam quòd vsus sim, vt, cum potuerim clariùs dicere, Quatenus, vel, Quemadmodum: hoc feci, tum breuitatis causa; tum etiam, vt ne, re tam apertè posita, & ab illis, qui intentis oculis quid scriberem, intuebantur, statim percepta, calamum mihi è manibus, ne alterum adderem membrum, nempe, Eatenus recipio, eriperent: eoquè nouæ orirentur altercationes. Quæ causa etiam fuit, cur nomen meum non præposuerim, sed postposuerim: nimirum ne illi videntes meum iam nomen esse subscriptum, mox, ne quidpiam aliud quàm ipsi volebant, adderem, me impedirent. Sed quis hoc arguat? Cui enim hominum fraudi hoc fuit? aut quid ea ratione de veritate detractum est, & contra gloriam Dei admissum? Imò propter gloriam Dei, ac veritatis defensionem, & promotionem salutis multorum, illud à me factum fuit.

Cum igitur verba subscriptionis meæ per se sint perspicua, ipsis verò compositoribus nullo modo obscura esse potuerint: cumque etiam non ex omni sermonis ambiguitate, qui ita loquitur, eum nec bonum, nec candidum virum esse consequatur: luculenter apparet, hosce meos calumniatores aliundè, quàm ex mea subscriptione, ad calamum contra me quoque stringendum, permotos fuisse. Vnde nam ergò? Ego ignoro: Dominus nouit: Ipsi viderint. Spiritum certè, à quo multi ad scribendum hoc tempore, calumniando, errores tuendo, noua incendia excitando, Ecclesias turbando, agitantur: Spiritum non esse Christi, sed Spiritum, non dicam aut Lutherianum, ne Lutherum sanctum virum hac ignominia afficiam, aut vbiquitarium, quemadmodum ipsi nostros aiunt agitari à Spiritu Zvingliano & Sacramentario: sed Spiritum hunc, Spiritum esse vertiginis, quo Deus grauissimam iniuriam, quæ facta est, & quæ quotidie magis ac magis fit Christo, vlciscitur, persuasum habeo. Soli enim Christo hunc à nobis deferri honorem voluit Pater: vt ei simpliciter credamus, eumque solum inter homines, adeoque inter omnes Spiritus à se creatos esse agnoscamus, qui errare nequeat. Quò spectant illa, Hunc audite: Vnus est Magister vester Christus: Doctrina mea non est mea, sed eius, qui me misit, Patris: Omnis homo (qui non etiam sit Deus).

(:)(:)

mendax, Deus autem (solus, simpliciter) verax est. Cum igitur hominem aliquem, ut magnis Dei donis ornatum, hoc honore, qui soli Christo debetur, afficimus, ut quicquid is docet, illud pro diuino oraculo simpliciter amplectamur, Doctoremque ipsum, tanquam qui non potuerit errare, suspicimus, colimus & tantum, non, ut Deum, adoramus: an non summa ignominia afficimus Christum Filium Dei, unicum Doctorem nostrum? an non hoc est hominem Deo exæquare? An non hoc est Christo de sua cathedra detruso, purum hominem in ea collocare? Non possum hic tacere, quod olim meis auribus summa cum admiratione & animi offensione audiui. Cum recens ex Italia Geneuam venissem, & P. Viretus B. M. vir in concionibus habendis excellentissimus, qui eodem certis de causis venerat, per septimanam vnam eadem hora in sancto Petro, qua Calvinus in S. Geruasio concionaretur: atque ego sicut in Caluino insignem doctrinam, sic in Vireto singularem eloquentiam & in commouendis affectibus efficacitatem admirarer, qua de causa illius concionibus summopere delectabar; amicus quidam Gallus, qui nullam vnquam Caluini concionem, vltimum, quisquis ille esset, audiret, omittebat; interrogatus à me, & cur tandem non semel saltem audiret tam præstantem & excellentem Christianum oratorem Viretum? aperte in hæc ferme verba, sed Gallicè respondit: Si veniret sanctus Paulus, qui eadem hora concionaretur, qua & Calvinus: ego relicto Paulo, audirem Calvinum: Serio autem loqui mihi videbatur: quanquam illa in respondendo grauitas vultus & vocis, potuit me fallere. Hoc exempli causa referre volui: ut quoniam tandem rapiantur, qui præstantes viros nimium admirantur, ostenderem. Ex hominibus, in summa; faciunt sibi Deos: ita ut, licet hoc verbis non fateantur, in animo tamen suo eos Christo exæquent, & qui soli Christo debetur, hunc illis honorem deferant: nempe quod quæcunque illi dicunt & scribunt, ea nihil aliud sint, quam Dei oracula. Quid hac contra Christum iniuria grauius? Hanc certe contumeliam, *αἰθρῶν λατρείαν* inultam non fert, nec feret Deus: præsertim cum ea non vnus cor, sed multorum iam animos, eorum in primis, qui præsunt Ecclesiis, & gubernacula habent Reipubl. Christianæ, occuparit: atque ita occuparit, ut qui aliter, quam ipsi sentiunt, eos gladio & igne persequantur: non fert inquam, nec feret hanc iniuriam Christus: sed eam seueriter, ut solitus est, vlscetur: idque variis flagellorum generibus, atque in primis spiritualibus, peccata peccatis, blasphemias blasphemias, hæreses hæresibus puniendo: & Spiritu vertiginis, eos qui talia agunt, agitando: & per eos, ipsorum quoque cætus, indies magis ac magis perdendo; tandem penitus, nisi resipiscant, euersurus. Cum enim dixerit, Gloriam meam alteri non dabo, nunquam autem errare, errare uel posse, solius Dei & Christi sit gloria: quicunque hanc aut sibi ipsi, aut aliis tribuunt, eos dementat, & Spiritu seductionis, in varios & tetros impellit errores Deus, quibus manifestissimi conuincantur mendacii: Quemadmodum è sacris literis, tum testimoniis, tum exemplis abundè demonstrari potest, ut iam de historiis Ecclesiasticis taceamus. Quis obsecro non videt, quid tum Mahometanis tum Romanis Ecclesiis hanc ob causam contigerit? Omnes illæ amplissimæ & felicissimæ regiones, quæ iam occupantur à Turco, erant olim florentissimis Ecclesiis refertissimæ. Postea verò quam illi populi, Mahometi Nestoriano tantum honoris tribuerunt, ut ei tanquam Spiritu Dei pleno, & à Deo ad mundum reformandum misso, simpliciter in omnibus credendum esse iudicarent, quod neque falli, neque fallere posset: quantum errorum, quantum hæreseon, quantum denique blasphemiarum, vitiorum ac scelerum confectum sit, quis est qui nesciat? Nam penitus tandè defecerunt à Christo. Quando verò vnquā Ecclesia Romana pluribus, grauioribusque contaminata fuit erroribus, superstitionibus, idololatriis: quam cum suum Papam, tanquam vicarium Christi, atque adeo Deum quendam in terris, ita adorare cœpit, ut si quis eum in fide errare posse

posse

N V N C V P A T O R I A.

posse diceret, hunc anathemate feriret, igneque & gladio persequeretur? Dignum certe tali blasphemia flagellum: ut qui falso contra honorem Filij Dei aut se, aut suos præceptores errare non posse gloriantur, & illi & isti Spiritu mendacij, seductionis, vertiginis agitentur: idque ut soli tandem Christo, sicut debet, integra & facta cæta maneat gloria. Valdè vereor, ne hoc idem contingat Germaniæ: ubi nunc plerique omnes Lutherum, tanquam tertium, ut ipsi vocant, Eliam, ita adorant; ut si quis quid in eius doctrina, præsertim in sententia de reali corporis in pane, & ubique præsentia, qua in retotius religionis puppim & proram collocatam esse putant, reprehendat, aut etiam modestè, se non probare, dicat: hunc tanquam turcis, & quouis hæreticorum genere peiorem ac pestilentiozem, non solum ferre nullo modo possint, sed nullo etiam non dignum supplicio esse arbitrentur, dicant, scribant, re ipsa declarent: quasi Lutherus in his, quæ ad Religionem pertinent, & in interpretationibus Scripturarum errare nequiverit. Cur igitur ipse Lutherus hanc in Pontificibus Romanis impiam arrogantiam damnauit; si hoc de ipso sentire, impium, & dicere blasphemum non est? Ut multa, reuerentiæ erga tantum virum causa, omittam: An non columnæ Germaniæ, atque in primis Lutherus, & putidissimè errarunt, & turpissimè se dederunt, cum illud sanctissimum scilicet consilium dederunt fortissimo illi & optimo Principi Philippo Lantgrauio, cui hæc mea dedicaueram Miscellanea, ut vinente adhuc priore, legitima nimirum uxore, duceret alteram, hoc est, adulteram? Hoccine fuit consilium Eliæ & Elisæi? Hoccine est non posse errare in doctrina fidei? perperam certè tum interpretati sunt Scripturas, quæ sunt de coniugio, ea in parte. cur non & in aliis hallucinari potuerunt? Detur ergo detur gloria Deo, & vnum solum Iesum Christum simpliciter errare non posse, ingenuè fateamur. Illam itaque blasphemiam, atque vnius creaturæ idololatriam vlciscitur quotidie Dominus: dum suo iusto iudicio efficit, ut horum idololatrarum nonnulli, quotidie proficiant in peius, & magis ac magis indies demententur. Quænam obsecro maior est dementia, quàm sic argumentari: Tu non sentis cum Luthero in interpretatione verborum cænæ, **HOC EST CORPUS MEUM**, id est, (in uersa tota propositione) corpus meum est sub, in, & cum hoc: item, non credis cum eodem, & Brentio, Corpus Christi naturale, sua substantia realiter esse ubique locorum, imò & extra omnia loca: Ergo non es Christianus, nec ferendus in Ecclesia: imò ne in ditionibus quidem nostris, tanquam hæreticus, & peior Turcis atque Iudæis?

Quid, inquam, hac argumentatione dementius? Si enim hæc argumentatio valet, oportet hanc thesin veram esse, ac necessariam; nempe: Quicumque à condito orbe cum Luthero non sensit, sentit, aut sensurus est, in his duobus articulis: ille Christianus esse non potuit, non potest, nunquam poterit. Itane verò hæc fuerit regula, qua Christianus à non Christiano dignoscatur? O indoctos Apostolos, imperitosque Patres omnes, qui in vestris Symbolis, quibus, quomodo Christiani à non Christianis discerni possent, docuistis; hanc nouam notam ignorastis. Christiani igitur non fuerunt; quicumque dixerunt, panem esse figuram, & signum, & *αὐτὸν* corporis Christi, ut Tertullianus, ut Augustinus, ut Græci Patres. Exterminandi item omnes fuerint ab Ecclesia, qui Christum docuerunt per id, quod homo est, esse tantum in cælo; per id autem quod Deus est, esse ubique. Fridericus etiam III. (ut domi nostræ maneamus) laudatissimæ semper memoriæ, non ita pridem Elector Palatinus, per voe exhumandus fuerit, & eius ossa in Nicrum proicienda, vel Vulcano tradenda, quia cum Luthero in his articulis non consensit. Date, date gloriam Deo. An non hoc ex vestris fidei principiis, in animis vestris concluditis? Taceo enim iam de Philippo Lantgrauio maiore, qui cum Tigurinis, hæreticis illis, si Deo placet, atque diabolis, amicitiam ad extremum vsque coluit. Taceo

& de reliquis Principibus, ac Rebus publ. qui isti nouo doctrinæ corpori, in quo vterque hic articulus Ecclesiis sub anathemate obtruditur, non subscribunt, nec subscribere volunt, sed constanter subscribere detrectant, idque meritò. Fuerintne igitur (vt fortè nonnulli cupiunt) è finibus Germaniæ pellendi? Taceo etiam de omnibus aliis nationibus extra Germaniam, quæ sunt innumerabiles. Ubiquitas enim vestra non ita vbique est; vt extra Germaniam inueniat locum. Sed in vno Friderico tertio Elect. Palat. ne procul vagemur, persisto. Si vestra regula & thesis vera est; constet autem, eum cum Luthero in illis duobus articulis, in quibus tota controuersia, totumque præsens bellum consistit, ad mortem vsque non consensisse: an non sequitur, vobis etiam præ metu filiorum tacentibus, eum mortuum esse hæreticum, & nullo modo Christianum, quippe non Lutherianum: eoque non in cælum, sed aliò (malum) migrasse? Qui animis fortè annuunt, propter profligatam impietatem: verbis propter filios negabunt, ac dicent, vt dicere solent; Fridericus tertius fuit optimus Princeps, sanctissimus Princeps, religiosissimus Princeps: Absit, vt sinistrè quidpiam de illo Principe sentiamus. Interim tamen in doctrina pugnantem cum Lutheri sententia mortuus est. Mortuus igitur per vos non Christianus, non pius, non religiosus, quia non Lutherianus. At fuit seductus. Sed siue seductus, siue non seductus, profectò quicumque moritur non Christianus, illi in cælum non pater accessus. Quid hîc ais Catilina? Si estis boni & candidi viri, cur non dicitis apertè, id quod in animo, de illo Principe sentire videmini, atque, si, cum moreretur, non sensit cum Luthero, omninò concluditis? At hoc non dicimus.

Quid ita? an non, quia magnus Princeps fuit, & magnorum Principum parens? O, nolo dicere. Adulatores! nam de bono & paupere Philippo, qui apertè in his articulis, cum Luthero non sentire professus est, deque aliis eius similibus id pronuntiare multi fortè non verebuntur. Est igitur magnum Dei flagellum hæc dementatio, hic furor, hoc odium, quo aduersus omnes, qui cum Luthero & Brentio, in illis nouis fidei articulis non consentiunt, isti quarti Eliæ feruntur. Vnde autem hæc diuina dementatio? Ex illa in Filium Dei ignominia, de qua satis dictum est.

Ex hac itaque ira Dei, qua punit peccata peccatis, & blasphemiam in Filium Dei aliis blasphemis, ita vt iam multos non pudeat, editis etiam libris, appellare se Lutherianos, parùm memores Apostolicæ reprehensionis, aduersus eos, qui dicebant, Ego Cephæ, ego Pauli, ego Apollo: Ex hac, inquam, ira Dei, totam etiam hanc effrenem in quemuis debacchandi libidinem proficisci, persuasum habeo: quoniam sic solet Deus sua exercere iudicia. Cuius rei recens exemplum adferre iam possem, si mihi animus esset quempiam perstringere: & non potius quorundam, qui mihi perditum esse videntur, exemplo, reliquos, vt resipiscant, tacitè monere: ac fratres omnes, vt ab hoc grauissimo crimine, quo mortales homines pro diis immortalibus adoramus, per Iesum Christum diligenter sibi caueant, rogare. Deum immortalem, qualem ego librum hoc anno, & quidem recens, nolo dicere, vbi, aut à quo editum, nuper legi! Vix angelis parcitur & Deo. Oportuit ad extremum, ipsum quoque Bucerum beatæ memoriæ, denuò exhumari & concremari. Quousq; tandem isti Catilinæ abutentur patientia, non nostra, sed Dei? Quamdiu istorum furor Ecclesiam Christi turbabit? Quem tandem finem effrenata horum audacia, calumniandi quæ & conuitiandi capiet libido? Sed res, vt video, desperata est.

His igitur omisiss, cum satis superque de mea illa subscriptione aduersus calumniatores dixerim, idque non sine animi mei & dolore, & indignatione; spectatum rei indignitate, tum horum malè feriatorum (vt modestè loquar) hominum vanitate, æquum est, vt ad vos, amplissimi Domini, & Fratres obseruandi, me reuertam.

uertam.

N V N C V P A T O R I A.

uertatur oratio. Causam, quam initio vobis viri clarissimi iudicandam proposui, fatis ut puto, perspicue explicavi: ac cur sentiam hosce meos aduersarios à Spiritu vertiginis agitari, rationes non infirmas attuli. Vos ut prudentes, & tum sacrarum literarum, tum iuris diuini atque humani, tum denique rerum peritissimi, facile ex iis, quæ dicta sunt, facere potestis de tota hac causa iudicium.

Nunc gratulor vobis ex animo, totique Belgio, istam singularem Dei, qua vos dignatus est, benedictionem: nempe, quod ubi antea tyrannus Sathan, suum custodiens regnum, omnia sua in pace possidebat, filios autem Dei crudeliter affligebat: ibi nunc Christus, eiecto tyranno, utpote fortior illo, & erecto sui Euangelij vexillo atque sceptro, sedem sui regni collocauit, feliciterque regnat: Et in medio inimicorum suorum, ciuibus suis è manibus Sathanae eripiendis, à seruitute peccati liberandis, vera conscientiarum & Spiritus libertate donandis, dilectione inter se conciliandis, spe ad æternam vitam erigendis, fide contra omnia aduersa sustentandis, vi sui Spiritus indies magis ac magis renouandis, variis beneficiorum generibus afficiendis, & ad perfectam æternæ vitæ possessionem disponendis ac perducendis, fremente Sathana, dominatur.

Quid enim hoc incomparabili & multiplici beneficio maius? quid præstantius? quid vestræ, vestrorumque liberorum, ciuiumque omnium saluti conducibilis desiderari à vobis poterat? Magnum est, è potestate crudelissimi tyranni liberatum esse: maius, liberè sub optimo, sapientissimo & potentissimo Principe viuere: Maximum multis & præclaris beneficiis quotidie cumulari. Quid verò, si etiam regni sui participem ac consortem te efficiat? Hæc autem à Christo apud vos iam regnante accepistis, & quotidie magis ac magis accipitis: si quidem verbum eius, quod vobis purè prædicatur, attentè auditis, ac vera fide percipitis; & ab eiusdem Christi Spiritu vos ipsi regi, ac duci, sin: repugnantia & reluctatione permittitis. De iis enim intelligitur, præter alia, illud Apostoli ad Epheseos. *Cap. 4.* Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Eratis tenebræ, hoc est, ut antea explicarat, versabamini in vanitate mentis vestræ, cogitationem habentes obtenebratam, & ab alienatam à vita Dei, propter ignorantiam quæ in vobis erat, ex obduratione cordis vestri, &c. Tenebræ igitur istæ tria summatim complectuntur, ignorantiam Dei, animique cecitatem: alienationem à Deo, cordisque obdurationem & impœnitentiam: atque ex consequenti, extremam maximamque infelicitatem & damnationem æternam. Hoc sanè sensu eramus omnes tenebræ: Nunc autem Lux in Domino. Lux quidem: hoc est, vera Dei cognitione, vera in Christum fide, vera iustitia & sanctitate præditi, & veræ, æternæque felicitatis participes effecti: in Domino autem, tum quia in ipso, tanquam in capite, per imputationem tales sumus; tum quia per ipsum suo in nobis Spiritu operantem, horum beneficiorum reapse participes sumus. Quid igitur felicius, quàm esse in regno Christi, & ab hoc cœlesti Monarcha gubernari? Omnes siquidem boni & veri Principes ac Reges in hoc intenti sunt & esse debent, ut nihil prætermittant, quò sui ciues sint verè boni, honesti, iusti ac religiosi, & in pace ac charitate cum proximo, eoque feliciter viuant; quemadmodum de officio eorum docet Apostolus: sed licet, ad externa pietatis, honestatis & iustitiæ opera quod attinet, *1. Tim. 2.* utcunque retinere suos ciues in officio possint: reuera tamen ab innata impietate, iniustitia & cordis impuritate eos purgare, & verè bonos atque iustos per se efficere nunquam poterunt. Quid ita? quia ius quidem habent & potestatem in corpora; in animas autem nullam, ut eas vel occidere, vel viuificare queant: & externis quidem legibus præcipere possunt, sed eas in cordibus scribere, ut Christus, non valent; & externo etiam gladio scœlera compescere, sed gladio Spiritus vitia è cordibus tollere, ut facit Christus, minimè possunt. Solius enim nostri cœlestis Regis est illa

vox: Auferam cor lapideum, & dabo cor carneum. Sub quo igitur Principe felicius, quàm sub Christo & in Christi regno, viui potest? Est præterea noster Rex, & *Matt. 28.* semper & vbique cum suo populo præsens, omnesque nostras videt necessitates, audit gemitus, inuocantes exaudit: quæ certè præstare Reges mundi non possunt.

Compendiosa quoque & facilis est ratio, qua suos regit populos Christus. Omnia enim agit suo verbo & Spiritu: Verbo, inquam, nunc nudo, nunc Sacramentis vestito. Ipse item solus omnia agit & regit, id quod certè Principes mundi facere non possunt. Et si enim dedit Apostolos, Prophetas, Doctores, Pastores, ad instructionem Sanctorum, & ædificationem Ecclesiæ, ipse tamen est, qui omnia agit in omnibus: in Paulo plantat, in Apollo rigat, per seipsum dat incrementum. Proinde omnia in isto regno benè succedunt, & omnia in electis cooperantur in bonum.

Quid, quòd non solùm & spiritualia bona liberalissimè in hoc regno, omnibus ciuibus, pro mensura doni Christi, distribuuntur: sed etiam bonorum huius mundi tantum cuique suppeditatur, quantum ad piè sancteque viuendum sit satis? in quem finem diaconos quoque in hoc suo regno instituit, vt per eos bona pauperibus, pro cuiusque necessitate dispensentur. Huic beneficio accedit, quod suo verbo & Spiritu efficit, vt quisque sua sit sorte contentus, & in eo vitæ genere, ad quod vocatus est, læto animo permaneat.

Adde iam & aliam ingentem & suauissimam benedictionem, quòd hic Rex suo verbo & Spiritu efficit, vt ciues sese sincera caritate complectantur, vt hoc vinculo vnum fiant, sicut & Pater & Filius vnum sunt. Quæ res certissima est nota, qua veri ciues huius regni à non ciuibus discernuntur, dicente Rege Christo: In hoc cognoscent homines, quòd sitis mei Discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.

Coniugia item suorum ciuium sanctificat, & thoros reddit immaculatos, efficitque vt vir & vxor non tam corpore, quàm animo reuera vnum sint in Domino, vt filios procreent non mundo, sed Christo, quibus eius regnum in finem vsq; mundi impleatur. Hoc verò mirabile est in hoc regno, quòd iste Rex vult & efficit, vt regna mundi suo regno subiiciantur: & vicissim vult ac efficit, vt suum quoque regnum regnis mundi subdatur. Regna mundi regno suo subiicit, dum efficit, vt reges cum suis populis tracti à Patre, sese Christo sponte subiiciant, ei que tanquam Regi Regum, fidem & obedientiam promittant, Baptismatis Sacramento obsignentur, regno eius incorporentur: ita vt, licet fiant nutritores & protectores Ecclesiæ, omnibus tamen Christi legibus & institutis, tanquam suauis iugo, non minus quàm reliqui ciues, sua ex animo subdant colla.

Suum verò regnum subiicit mundi regibus: dum efficit, vt quemadmodum ipse, cum in mundo versaretur, sublimioribus potestatibus, quibus tamen ipse vt Deus gladium dederat, vt homo subiectus fuit: ita etiam eisdem, ciues sui omnes, nemine excepto, subiiciantur: iuxta mandatum, omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta esto. Sed quousque? Dum subiectio, quam debent suo Regi Christo, non violatur, & libera manet conscientia. ita nunquam nisi Christo, Spiritu ac conscientia subiecti sunt ciues huius regni.

Regnum autem hoc, ideo regnum cælorum in sacris literis appellari solet: quia licet in terris quoque sit, & in hoc mundo: non est tamen è terra, nec de hoc mundo, vt Christus apertè Pilato protestatus est: sed è cælo est, cælestia tractat, ad cælum ducit, in cælo consummabitur: vt *πᾶν ἔσθιμα* nostrum semper sit in cælo. Quanta igitur in hoc regno felicitas?

Et si verò vbicunque sunt electi, siue pauci, siue multi, in nomine Christi congregati, ibi regnum Christi est: speciatim tamen, vbi publicè sonat purum Christi ver-

sti ver-

N V N C V P A T I O R I A.

fiti verbum, puraue eius Sacramenta administrantur: ibi solium suum habere Christus Rex noster, verè dici ac prædicari potest. Hoc cum iam vobis ipsius Christi beneficio, concessum sit: quomodo possum vobis, quos singulariter amo, non ex animo gratulari?

At variis premimur calamitatibus, domi & foris. Audimus: & dolorem vulnorum vestrorum sentimus: & toto corde Deum, qui vos liberet, precamur. Sed quam ob causam ista patimini? Propter Euangelium, propter Christum, propter iustitiam. Beati ergo: & melius est, si Deus velit, ut bene agentes patiamini, quam malè agentes. Ipsum etiam regem Christum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam: quid mirum igitur, si nos quoque eadem via in gloriam nobis præparatam adducere velit; Prædestinauit nos, ut essemus conformes imagini Filij eius. Christo igitur passo in carne: & vos eadem cogitatione armemini. Quotquot enim piè volunt vivere in Christo persecutionem patientur. Nec decet, ut sub capite spinis coronato, viuant membra in delicijs. Hæc est perpetua fors Ecclesiæ: ut qui filius est secundum carnem, persequatur eum, qui est secundum Spiritum. Vobis igitur donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro illo: & ut stigmata Domini nostri Iesu Christi feramus in corporibus nostris. Sed non finit Deus vos tentari supra id, quod potestis sustinere: sed dabit etiam vna cum tentatione euasione, ut possitis sufferre. Iudicamur enim à Domino: ne cum hoc mundo damnemur. Cruce enim mortificatur vetus homo: huius mortificationem sequitur noui viuificatio. His autem duobus promouetur salus nostra. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.

Neque frumenta in horreum reponuntur, nisi stibellis benè à paleis, aristis & glumis repurgata: Neque lapides in templo Salomonis collocantur, nisi scapellis & malleis benè cæsi: nec coronabitur, nisi qui legitimè certauerit: & quos Deus diligit; corrigit & castigat: Et si compatimur, ac crucifigimur cum Christo, cum illo etiam resurgemus, & conregnabimus: Nec sunt condignæ passionibus huius seculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: Incredibiles & innumerabiles sunt fructus, quos parit & profert hæc arbor crucis Christi. Quibus? Cuius regni Christi: idque benedictione Spiritus eiusdem Regis Christi: qui sua potentia efficit, ut omnia cooperentur in bonum, iis qui diligunt eum, id est, ad hoc regnum electis, & in illud cooptatis. O beatos, qui in hoc degunt regno, & conciuies sunt Sanctorum, ac Domestici Dei.

1. Quid igitur nobis restat? Hoc vnum, ut Christum vero, & qui ei placeat, cultu, colamus.

2. Nullus autem ei placet, quem ipse non instituerit. Omnes enim ἐξελοθησκέαι Colof. 2. ab ipso per Apostolum, & per Prophetas damnantur.

3. Quemnam verò ille instituerit, ex solo eius verbo cognosci potest.

4. Verbum autem Domini docet Deum in primis coli fide, corda purificante: deinde operibus ex fide proficiscentibus: ita ut nihil cultus Dei verè dici possit, nisi & actio seu opus sit, lege Dei mandatum, & fiat ex fide per charitatē efficaci: quemadmodum & de primo ait per Prophetam; Frustrà colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum: Et de altero per eundem Prophetam prædicat, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me: item Apostolus: Sine fide impossibile est placere Deo. Quibus duobus additur tertium, nempe gloria Dei, in quam, tanquam in finem vltimum tendat opus, quod fit ex fide: dicente eodem Domino per Iesaiam, Omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creauimus eum, formauimus eum, fecimus eum: Et Christo, sic luceat vestra lux coram hominibus, ut

videant opera vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est, &c. Et Apostolo confirmante, cum ait, Omnia in gloriam Dei facite. Finibus enim, non officijs, ut rectè Augustinus docuit, à vitijs discernuntur virtutes. ijs tribus partibus verum Dei cultum constare, tradunt Scripturæ.

5. Distinguiunt autem eadem sacræ literæ cultum hūc, in internum, & externum. internus est animi, externus corporis: qui sine illo, cultus rationem non habet: ut etiam cadaver sine anima, homo dici verè non potest. De utroque Apostolus: Glorificate Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei. Quia enim Deus utrumque nobis dedit, & animam, & corpus: ideo utroque etiam se sanctificari velle docet per Apostolum.

6. Est autem internus cultus, motus seu actio cordis fide purificati, cum lege Dei congruens: Externus verò, actio, seu opus externum, à tali corde proficiscens, cum eadem lege Dei consentaneum: quocunque in statu Deo placente quis viuat.

7. Totum verò hunc cultum, tam externum, quàm internum, ideo spiritualem sacræ literæ vocant; quia à spiritu nostro per Spiritum sanctum, quo fideles aguntur, renouato, totus proficiscitur. quo illud Christi: Tales querit Deus adoratores, qui adorent eum in Spiritu & veritate: hoc est, qui à Spiritu Dei acti, omnia sincerè, ex fide, secundum Dei voluntatem, & ad eius gloriam agant.

8. Præter ergo actiones & opera, toti Ecclesiæ in publico cœtu Ecclesiastico communia, quæ communi etiam & recepto nomine cultus Dei appellari solent: tota quoque vita nostra, omnesque nostræ actiones, cultus Dei esse possunt, si ex fide, si iuxta legem Dei, si ad eius gloriam fiant.

8. Christus porro, sicut totus secundum utramque naturam Rex noster est: fictus etiam nobis est, nulla facta naturarum, vel per animi cogitationem, distractione, colendus & adorandus.

Hæc pauca de regno Christi, deque nostro erga hunc Regem officio, quam minùs, quàm fortassis decuit, elaborata, utpote quæ à me cum variis animi molestiis affecto, tum multis occupationibus, propter hanc communem & vrbis calamitatem, & Scholæ, distento, raptim & succitius horis concepta ac conscripta fuerunt: æqui tamen & boni consulationis rogo.

Exiguum verò hoc, quod ad vos mitto, munusculum Miscellaneorum meorum, quæ idcirco vobis, ut antè dixi, dedicaui, ut toti orbi Christiano, meam erga vos obseruantiam testatam facerem, grato accipiatis animo, etiam atque etiam obsecro. Dominus Iesus vos diu incolumes seruet, Ecclesias regat, totam-

que regionem ab omni hostium genere tueatur, atque in vera pace, ad gloriam sui nominis custodiat. Neustadio: octauo

Septemb. Anni M. D. LXXXII.



17